



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Phosphorvs sive Ioannes Baptista nativitas, vita, mors

Cabilliau, Baudouin

Lovany, 1642

Elegia 5. Herodis iuramentum, & ex eo cædes Ioannis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70001](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70001)

Asperaque horrificat subrectis ora ceratis,
 Quæ sedet in medio dira Megæra choro.
 Illa neci tædam præterdit, & arma furori,
 Tæda caput signat, dira quod arma metant,
 Ludus id, anne scelus præiosa pericula vitæ
 Ludere, de nugis queis perit orbis honos?

Elegia 5.

**Herodis iuramentum, & ex eo
 cædes Ioannis.**

Sperabam sine felle sales, placidosque cachinnos,
 Quæque labant lepto lubrica verba mero.
 Sed sanguis Bromio, fertisque immista securis,
 Et Veneris gremio torua Megæra sedet.
 Sic salit; ut rapiat saltu Cypris illice Regem.
 Sic rapit; ut vari deruat ense caput.
 Scilicet incesto malè nupta lenæ leoni,
 Quid nisi mortis amet præmia digna legi?
 Quod non ausa nefas obliuio pota Lyæo,
 Lethæoque animæ cura sepulta mero?
 Quid non insanis odijs, cæcoque furori,
 Cypridis ad redam, sceptrâ licere iubent?
 Quæ modo lena Charis blando prælusit amor;
 Quas non in furias facta lenæa ruit?
 Nil molli asperius luxu. cor durat in iras.
 Excæcatque nigro pectora mersa luto.
 Hinc furor, ira, minæ, sitis hinc & auara cruoris,
 Hinc cruor, & fuso dulce cruore scelus,
 Ardet amans, amensque ruit per tela, per ignes.
 Quæ sata Tænaris bellua torua lacu est.
 Blanda puella trahit, mater fera sequit Eryanys.
 Ilacides sciscit iussa cruenta Scinis. (a)
 Quodque vouet, reus adiurat, quam iurat ad aras
 Cyprigenas, soluit perfidus ense fidem.
 Periurumque nefas irato Numine demens
 Sancit, & ultorem nescit adesse Deum.

(a) *Scinis latro in Attica famosus*

scilicet

Scilicet ira tenax odii cædisque libido,
 Cor adamantæo durat ad arma gelu.
 Noxia vox iuro: sed adhuc magè noxius error.
 Dat sceleri causam vox; scelus error agit.
 Nonne quod adiurat per sceptras suasque coronas
 Crimen, adhuc alio crimine prædo luit?
 Ast animo nolente volens, tamen impulit ensem
 In scelus, innocuus quem benè tardat amor.
 Plumea dos regis favor est, vis plumbea liuor.
 Auolat ille, nocens pondus hic vsque grauat.
 O caput infidum! fidei spes ecqua superstit:
 Perfidiâ maius si scelus ipsa fides?
 (a) *Scinis crudelis prædo, qualis Rex Herodes
 fratri suo Philippo, cuius uxorem rapit.*

Elegia 6.

Herodiadi saltatrici offert Rex regni
 sui dimidium, cui præfert caput
 Ioannis in disco.

AD HERODIADDEM.

Thyrsus ouans folijs & tæda reuincta corollis,
 Cum Bromio, & Como gaudia sæua parant;
 Est tamen infidè fraus hic magè noxia thyrsos.
 Est quoque plus omni quod face corda coquat.
 Ecce, venit blandum meditata læna furorem,
 Quam peperit diro fœta Megæra sinu,
 Quæ nanti pede radit humum, terit, aufugit, vrget,
 Excutit, adsultat, tangit, aderrat, abit.
 Sollicitatque solum stricto pede, & obuia passim,
 Statque, fugitque, pares iungit & inde manus,
 Liberat, & librat volucris vestigia raptu,
 Et similis rapido vertitur inde globo.
 Vt stetit illa: leui pretium graue leno labori
 Adstruit, & duplo pignore diues ait:
 Elige. stat caput hinc; capiti micat inde corona:
 Hinc gladium; sceptrum si lubet, inde ferres.

Squallidus